

Franckesche Stiftungen zu Halle

Rector Academiae Lipsiensis Ad Sacra Natalia Optimi Servatoris Pie Celebranda Celsiss. Principes Doglorvckios Vtrivsq. Reip. Proceres Et Academiae ...

Tietze, Immanuel

Lipsiae, [1713?]

VD18 13541110

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-200502](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-200502)



1. Progr. Cipp. natal. it. len.
2. Progr. Lipp. pulch. it. len. it. Erfurt.
3. — — Pentec. it. Witt.
4. Hardthura Helmst.
5. Hebreæ de æra nativ. Christi
6. Bel Hist. lingua Ungar.
7. Reimnitz Postscriptum



61. C. 2

61 C 2

111
72

RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
AD
SACRA NATALIA
OPTIMI SERVATORIS
PIE CELEBRANDA
CELSISS. PRINCIPES DOGLOR VCKIOS
VTRIVSQ. REIP. PROCERES
ET ACADEMIAE CIVES,
OBSERVANTIA ET HVMANITATE
QVA PAREST
INVITAT.

av. 38



Nter atrocissimas calumnias, quibus B. Lutheri innocentiam impetuerunt, simul vero reprobationis spiritum, quo praecipites ferebantur, prodiderunt, infensissimi aduersus eum animi viri, quibus aegre faciebat Romanae Ecclesiae turpitudinem ab eo in lucem protrahi, omniumque profitui oculis, ea quoque fuit, qua *Arianismi* eum suspectum facere conati fuerunt. Non vnus illa calumnia est, sed identidem repetita, et a variis adoptata, *Possennino, Gregorio Valentino, Bellarmino, Gretsero, Coccio, Edero, Bozio, Campiano, Tannero, Prateolo, Coppensteinio, Cornaeo, Scherero, Creutzio*, aliisque compluribus. Imo, quod mireris, ex iis quoque qui Caluini tibias inflant, et pro fratribus a nobis haberi volunt, licet ipsi eidem nobiscum calumniae Pontificiae obnoxii sint, illam cantilenam repetere non dubitarunt *Lampadius, Sladus, Mortonus*. Quod animos fecit insigni *Arianorum* paulo ante aetatem nostram aduocato, *Christophoro Sandio*, vt in *Historiae Ecclesiasticae nucleo*, quo nihil non egit vt persuaderet nobis, non Constantii tantum et vicino acuo totum mundum *Arianizasse*, sed sequentibus etiam seculis illam labem potiorrem partem Ecclesiae Christianae occupauisse, eam aduersus Lutherum suspicionem alere, productis falsis illis testibus, imo et eorum argumentis allegatis, veritus haud fuerit. Inter ea argumenta, si tamen nomen illud merentur fuci impudentissimorum accusatorum, hoc quoque comparet, quod *Esaiae IX, 6.* inter elogia Saluatoris pro voce *Dei fortis*, sit *vsus* voce *Herois*, qua notum est in scholis Pythagoreorum, atque Platoniorum, ordinem mentium intelligi, summo Deo non *ἐμμερότων*, sed aliquot gradibus inferiorum, quippe a quo deriuatum mentium genus omne trifariam distinguant: in *Deos nempe immortales*, iisdem inferiores *Daemones*, (qui rursus secundum Platonem in Angelos, Daemones bonos, et Heroas diuiduntur,) et denique *mentes humanas*. Hac ratione igitur eum qui Christum *Heroem* vocet, non Deum de Deo eum esse statuere, non summo Deo

uid. Bellarm.
Praef. in libr.
de Christo.

p. 424.

conf. Diff. no-
stram de Deo
sacr. §, 3.

Deo ὁμοῦσιον, quem ἀσυνμέτρωις τῶν πάντων περιμώμενον, hoc est, eo gradu excellentiae omnibus illis mentibus, quarum genere *Heroes* comprehenduntur, *superiorem* faciunt, qui *Heroum* naturam nobis delineant Philosophi, vt in comparationem cum iis non veniat. *Heros* igitur qui sit Christus, nil aliud erit, quam quod Arius eum esse voluit, ποιῆμα ἢ κτίσμα creatura et opus summi Dei, non ipse ἀληθινὸς Θεός, *Deus verus & summus*.

Proclus in Alcib. Plat.

Athanas. Or. II. adv. Arian. p. 141.

At quid est quod rabulas istos facit tam audacter bacchari? Nimirum Lutherus, in versione vernacula loci Esaiani, verba גבור, quae in elogiis Messiae leguntur, et *Deum fortem* propriissime sonant, Germanica voce *Heldt* interpretatus est. Scilicet ea voce etiam mysterio involutum nomen שׁיִלְר in vaticinio Iacobaeo Gen XLIX, 10. explicauerat: et vocem גבור absque addito de eo usurpatam, in pulcherrimo epithalamio, quod ipsi Dauides cecinit, et quod in Psalmorum serie XLVto loco comparet: adeo vocis illius de Christo a magno illo Doctore nostro usurpatae vsus nobis aegre non facit, vt plura quoque exempla aduersariis suppeditare nihil dispudeat! Quis vero bonos illos aduocatos eum vsu linguae Germanicae docuit, quo vox illa, quam cauillantur, idem notet, quam naturam spiritualem summo Deo inferiorem, imo et certo genere inferiorem spirituum creatorum, superiorem vero mentibus humanis? Quis ignorat nostra lingua *virtutis* eam esse atque *excellenciae*, non *naturae* appellationem? quibus eo nomine veniunt omnes, quorum insignis est in quacunque re atque notabilis excellentia. Ita Gideonem eo nomine compellatum videas in versione Lutheri, Iudic. VI, 12. et Iephtam eo genere laudis commendari, Iudic. XI, 1. Et eos qui vel in Saulis vel in Dauidis militia virtute inclaruerunt, eo honoris titulo ornari, 2. Sam. I, 19. XXIII, 8. seq. alia taceo infinita. Imo adeo nostra id lingua invaluit, vt vitiis quoque insignes eo nomine designare vsu veniat, cuius rei exemplum ipsa versio Lutheri Esa. V, 22. vbi de iis, qui heluoniis artibus excellunt, agitur, suppeditat. Tantum vero abest, vt nomen, *virtutis* quod est atque *excellenciae*, Christi

(C 2) sto

sto datum, verae eius *Diuinitati* detrudere possit existimari,
 vt ipsi tributum ad diuinam potius *excellendam* significandam
 sit extendendum. Sic enim et alibi voce vtitur, linguae no-
 strae indolis gnarissimus, Lutherus, vbi de *Deo*, qui *natura* sit
 Deus atque essentia, extra omnem controuersiam oratio insti-
 tuitur. Videantur loca I. Sam. XV, 29. Ierem. XX, II. Et ne du-
 bium esse possit de vocis significatu, qui B. Lutheri menti obuer-
 satus est, vbi de Christo ea est usus, hymni Ambrosiani me-
 minisse liceat, in cuius versione, postquam eius diuinam
 pariter ac humanam profapiam celebrasset, *GOTT von*
Art, und Mensch, ipsam hancce appellationem addit, *ein Held*,
 ad diuinas eius virtutes, vt *Deo*, ipsi per naturam, vt *homini*, per
 gratiam vnionis competentes, respiciens, et Ambrosiana illa:
geminae gigas substantiae, exprimens. Ita nempe Beatus il-
 le Doctor, quo nomine *summi Dei* virtutem et excellentiam de-
 signauit, eo nomine quoque *Christum Deum*, a virtutis excel-
 lentia vocibus *אל גבר* a Propheta delineatum, appellauit. Ne-
 que nos dubitare de genuina Lutheri mente finit, *explicatio e-*
ius vberior capitis IX. Iesaiæ, quae tomis Wittebergenfibus in-
 ferta legitur, ex qua eam expositam iam dedit B. Valentinus Al-
 berti noster, in Scripto publico *de quaestione, an Christus possit*
 §. 39. *dici Heros, ex hypothese Platoniorum*. Ibi inter alia ille, *Breni-*
ter, inquit, *Gibbor*, qui animo virili et magno praeditus est, qui vi-
 rum se praestat, qui non solum sibi, aut pro se, robustus est, sed acti-
 ue, qui virtutem et vires suas exserit, qui magnifice se de hostibus
 suis vlcisci, et illorum libidinem, conatus, ferociam, atque petu-
 lantiam, coercere et refrenare, iniuriam atque vim illatam aut
 intentatam fortiter depulsare potest. Talis *Gibbor* est *Christus*,
 hic puer, et Rex noster in Ecclesia: vbi est pius *Pele*, Ioez et *El*, ibi
 fit quoque *Gibbor*, ein *Krieger*, fortissimus et invictus miles ac pu-
 gnator, *Hercules* et *Achilles* et rel.

Sed pone etiam *Heroa* Christum ab aliquo orthodoxo-
 rum siue Oratore, siue Poeta, siue Theologo etiam, appellatum
 fuisse, ipsa voce illa adhibita, origine Graeca; *Arianismi* propter
 ea dicam ipsi non scripserit statim aequus pariter atque in-
 telli-

telligens rerum aestimator. Sane enim si etymon vocis spectes, prout ab ipso Platone in *Cratylō* exponitur, siue ἀπὸ τῆ ἐξουσιᾶ, quod *amorem notat*, eam deriues, siue ἀπὸ τῆ ἐξουσιᾶ, h. e. a dicendo, quam Augustinus amplexus est deriuationem, non incommodum prorsus erit ad filium eam referre, qui sit ὁ υἱὸς ὁ ἀγαπητὸς, *filius dilectus*, et λόγος *verbum* Patris. At fateor ex usu potius quam ex etymo voces esse diiudicandas. Sed et eum si spectemus, nihil necesse est Pythagorae, Platonisque, usu accipi vocem, qui *Philosophorum* scholis est proprius, quod diserte Philo in libro *de mundo* agnoscit, ex quo *communis* vocum acceptio neutiquam venit aestimanda. Communi vero eius vocis acceptione, ea significabitur partim τὸ σύνθετον, id quod *compositum ex humana* sit atque *diuina* natura; eaque *primaria* vocis est notio. Autorem habeo Lucianum, linguae puritatis, quae usu communi obtineret, obseruantissimum scriptorem: diserte enim ille *Herodem* esse dicit ἐξ ἀνθρώπου τε καὶ θεῶς σύνθετον. *Ex humana diuinaque natura compositum quiddam.* Cui vocis notationi origines ejusdem haut parum fauent, si ab ἐξουσιᾶ, significatu *nectendi* et coniungendi, deriuari vocem dicamus. *Primario* huic significatui *secundus* adhaeret, quo *Heros*, vtriusque naturae particeps, genus quoque ex natura vtraque, et profapiam, ducere concipitur. Huic *tertius* accedit, *virtutis* scilicet singularis, qualis esse conciperetur eorum, qui, ad Deum origines referentes, diuinae naturae haberentur particeps. Sed neque *quarta* praetereunda notio est, quam confusae mentes et perturbatae Paganorum reliquis iunxisse animaduertas, eiuscemodi scilicet συγχύσεως *confusionis*que naturarum, ex qua compositum existeret ὁ μήτε ἀνθρώπος ἐστὶ μήτε θεός, ἢ συνάμφοτερός ἐστι, quod *neque est homo neque Deus, sed aliquid ex duobus conflatum compositumque*, vt loco allegato habet Lucianus, vnde *Heroes*, qui credebantur, *semidei* dicebantur et *semones* h. e. *semihomines*, vt quos vtraque confusa natura neque homines ex toto, neque Deos, esse existimarent. Atque postremus ille conceptus, natus ex mentis caligine, aliam

de C. D.
L. X. c. 21.

Dial. Menippi
Amphilochi et Trophon.

Poet. L. VI.
c. IV. p. 738.

diuinae cum humana naturae coniunctionem non concipientis quam per σύνχυσιν, ex qua existens ὑφίσταμενον, neque Deus esset neque homo, sed tertium quoddam ex utraque coalescens natura, sicque *semiDeus* et *semihomo*, (qualis fere *Eutychianorum* mentes in doctrina de Christo occupauit,) Iulium Caes. Scaligerum in primis offendit, in P. Bembo reprehendentem, quod *Heroem* Christum dixisset, sic enim ille: *Bembus, quum Dominum Iesum Heroa vocat, valde me commouit, sane vox impia, et utroque indigna. Ne argutetur quis cum Heroa me semisse Deum, ex altero semisse hominem. Non possunt monstrorum figmenta vero nostro Deo conuenire. Sed tamen ab eo conceptu purgatam vocem usurpare potuisse non malo animo putemus nonnullos, excellentiam virtutis primo in Iesu Christo spectantes, atque praecipue, imo fortassis vnice, suffragante Graecorum usu, quibus ἥρωες οἱ διαφερόντες ἀρετῇ καὶ γενναῖοι ἀνδρες, viri virtute excellentes et generosi, teste Hesychio, vel δυνατοὶ καὶ γενναῖοι, potentes et generosi, ut habet Suidas, fuere: vnde virtus ἥρωϊκή, ipsi Aristoteli dicta ἀρετὴ θεῖα ὑπὲρ ἀνθρώπων, virtus diuina, humana superior indole, et Romanis passim *Heroici impetus, motusue*, appellati fuere. Quo sensu Christum *Heroa* celebrare, cuius diuinissima virtus est, tolerari omnino poterat. Qui, ut vir magnus ex nostris loquitur, *est HEROS ille, qui singulare certamen iniit cum morte et inferno, atque etiam reportauit victoriam*. Sed fortassis longius quoque respici poterat, ad origines scilicet eius, qui Deum Patrem, Virginem matrem haberet: quale quid *Herois* nomen, confuse licet, variamque labem eo trahente conceptu, a quo purgata voce uti queat Christianus orthodoxus, suppeditabat. Neque impar est credere, *Herois* nomine de Christo uti quosdam voluisse, quod *Heroem* ἐξ ἀνθρώπου καὶ θεῦ συνθετόν τι esse audientes, simili fere modo Patres et Synodos totas de Christo loqui obseruarent. Ita enim Origenes ipsissimis verbis Christum σύνθετόν τι ἐκ θεῦ καὶ ἀνθρώπου συνθετόν, compositum quid ex Deo, homineque mortali vocat, phrasi vtens, et ipsis verborum apicibus, quibus de Heroibus vtus est Lucianus, quemadmodum alio loco σύνθετόν τι χεῖμα, compositum*

L. I. adv. Cels.
p. 46.
p. 51.

positum quippiam, Christum ex vtraque illa natura adpellauit. Sic et Patres orthodoxi in Symbolo contra Paulum Samosatenum, in concilio Antiocheno edito, de Christo loquebantur, vt ἐν πρέσβυτοις dicerent συνδετον ἐκ Θεότητος ἑξουσίας, καὶ ἀνθρώπινης σαρκὸς, vnam personam compositam ex diuinitate coelesti, et carne humana, quo modo etiam Cyrillus in epist. ad Nestorium, Christum συγκείμεναι, compositum et constitutum ex Deitate atque perfecta humanitate docet, vnde et Ambrosius, libro de fide, et in hymno, biformis naturae vel substantiae Gigantem eum vocauit. At illud discrimen hic in locutione Pagana obseruandum, et eius accommodatione ad vsus Christianos, quod Pagani quidem Heroes suos compositam quid ex Deo homineque concipientes, vnam naturam in iis compositam ex Deitate & humanitate conciperent, quae proinde nec Deus nec homo esset, sed tertium aliquid ex duobus, semiDeus, & semihomo, id quod offensae Scaligero erat, vocem sacris Christianis propterea arcenti. Nos vero in Christo personam concipimus compositam, ex duabus naturis integris, verum DEum et hominem verum, non μίαν φύσιν συνδετον ἐκ Θεότητος καὶ ἀνθρωπότητος, h. e. vnam naturam compositam ex Deitate et humanitate, vt diserte loquebatur Armeniorum Catholicus, h. e. Pastor Generalis, Eutychianae sectae addictus, apud Theorianum in dialogo, consentientibus Acephalis apud Ioannem Damascenum libro de Haereticis: Nempe nos cum Cyrillo Alexandrino τὸν Θεὸν μεσίτην καὶ ἀνθρώπων συγκείμεναι φάμεν ἐκ τε τῆς κατ' ἡμᾶς ἀνθρωπότητος τελείως ἔχουσης, κατὰ τὸν ἰδίον λόγον, καὶ ἐκ τῆς πεφηνότος ἐκ Θεοῦ κατὰ φύσιν υἱῶς, τετέστι τῆς μονογενῆς. διαβεβαιούμεθα δὲ σύνθετον μὲν εἶναι, καὶ τὴν ὑπὲρ λόγον συνδρομὴν, εἰς ἑνωσιν ἀνίσταν τε καὶ ἀνομοίων πεπράχθαι φύσεων, &c. Mediatorem Dei et hominum secundum Scripturas, ex humanitate secundum propriam rationem perfecta et absoluta, naturalique Dei filio, hoc est vnigenito, compositum constitutumque esse dicimus. Affirmamus autem coniunctionem quandam et inenarrabilem vnitionem inaequalium et dissimilium naturarum. Cui nostro conceptui de coniunctione duarum integrarum dissimiliumque naturarum in vna persona longe

l. c.

longe

longe aptius respondent origines vocis *Heros*, a verbo *ἔγεν* ductae, eo sensu accepto, quo *nectere et coniungere* significat, quam Paganae et Eutythianae *συγγύς*, siue *naturarum mistioni*, vt ipsū quidem vocabulum talem errorem necessario non importet, neque eius per se notionem mentibus nostris ingerat. Cum tamen fatendum sit, voci variam labem ex vſu eorum a quibus accepimus adhaerere; excusandos licet esse putemus, qui, labe illa orthodoxis explicationibus confessionibusque suis purgata, eadem vtuntur, rectius tamen ea abstineri, suūque Paganis relinqui vocabulum censemus. Nos Christum *Deum fortem, Humana assumpta natura*, quam in *purissimae matris* utero induit, non *virili* sed *Spiritus Sancti* virtute obumbrata, manifestatum veneremur: eorum sublimitate et puritate conceptuum, magnisonam vocem, et aestu poetico forte maxime appetitam, compensantes. Eam vero piarum mentium venerationem, si quod aliud tempus, illud poscit omnino, quo *memoriam natalium* optimi Saluatoris recolimus. Quod cum reduxerit iam gratia numinis, in Christo, DEO de DEO, homine sine patre ex virgine pura, diuina virtute inferorum sterne opes, omnes animi vires consumamus. Pietati illi nostrae alendae excitandaeque destinavit orationem sacram, qua *memorabilia huius natiuitatis signa* eiusque *utilitatem*, ex vmbone templi Paulini, die maxime festa, hoc est crastina, H. XII, explicabit Iuuenis praestantissimus, SAMVEL BENIAMIN FVCHSIVS, Martisburgensis, ad quam audiendam CELSISSIMOS PRINCIPES DOGLO-RVCKIOS, *Vtriusque Reipublicae Proceres, Civesque nostros*, qua decet attentione audiendam, officiose et peramanter inuitamus. P. P. Vigiliis Festi Natalitii Optimi Seruatoris
Anni c1o 1000 XIII.

L I P S I A E,
L I T E R I S I M M A N V E L I S T I T I I.

61 C 2

10-18

